

aliae *morales*, quae ab homine morali peraguntur.

## §. III.

*Homo moralis* vero agit voluntate per intellectum vel determinata vel determinanda. Per intellectum scilicet cognoscit ipsam actionem et finem, ad quem agit, iudicium determinat, an actio ad finem, quem cognouerat, faciat, et inde facta determinatione oritur voluntas.

\*) Hinc patet, *iudicium* pendere ab *intellectu*, quam comprobavit sententiam PUFENDORF de *Offic. homin. et ciuis Lib. I. cap. I. §. IV.* IO. SCHMID. *Diss. de Iudicio ad Intellect. non ad volunt. pertinente.* TREVIER. ad *Pufendorf. c. l.* neutiquam vero a *voluntate*, cui opinioni Cartesianorum adstipulatur BARBEYRACIVS ad *Pufendorf. c. l.*

## §. IV.

Haec voluntas, quae determinari debet, libera sit necesse est, ut possit determinari. Dein cui deest facultas determinandi voluntatem per intellectum, is *moralis* dici nequit. Hinc *infantes*, *furiosi*, *mentecapti* hominibus moralibus accenseri nequeunt.

\*) De *infantibus* quaestio est, qua aetate incipiant homines fieri *morales*. Tempus certum

tum